

*Zweiter Theil.*

Domine Jesu Christe, Rex gloriae, libera animas omnium fidelium defunctorum de poenis inferni, et de profundo lacu!

Libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum; sed signifer, sanctus Michael, repraesentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahae promisisti et semini ejus.

Hostias et preces tibi, Domine, laudis offerimus: tu suscipe pro animabus illis quarum hodie memoriam facimus; fac eas, Domine, de morte transire ad vitam, quam olim Abrahae promisisti et semini ejus.

Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth! Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Osanna in excelsis!

Benedictus qui venit in nomine Domini. Osanna in excelsis!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem!

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam!

Lux aeterna luceat eis, Domine, cum sanctis tuis in aeternum: quia pius es.

Dona eis requiem aeternam! et lux perpetua luceat eis, cum sanctis tuis in aeternum; quia pius es.

MT/378/2002